

constat ex Decreto Bened. XIV. et Clem. XIII. Attamen quibusdam in locis, ut diximus, ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximae substantiae, et ideo a consuetudine reiiciuntur, ait S. Lig. *ibid.* (9). — Vide dicenda n. 504. — S. Lig. n. 1027.

QUAER. 5^o *An in coenula permittantur pisces?*

Resp. Affirm., si agatur de pisciculis, praesertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus maioribus; putat tamen S. Lig. n. 1208., ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum. — S. Lig. n. 1208.

500. — QAER. 6^o *An liceat in coenula uti iusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto?*

Resp. Affirm. probabiliter, nisi certo adversetur consuetudo (10) tum vero nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt; computandum autem est, iuxta Vivam, quod non habet rationem potus, v. gr. oleum. — S. Lig. n. 1209., et alii.

(9) Sed etiam hoc pendere a consuetudine pro locorum diversitate patet ex iis, quae habet Sporer quoad Germaniam (*Append. ad 3. praec. dec. secl. 2, n. 32.*): *Spectata* (inquit) *moderna consuetudine praesertim in nostra Germania iamdiu tolerata, et plane invalescente, censeo... omnino probabilem et tutam esse sententiam... in collatione vespertina ieiunii non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum: adeo ut ex omnibus cibis, qui die ieiunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis, etc., etiam licere sumere in coena. Id expresse docent Caietanus, Bonacina, et noster Petrus Marchant, qui expresse ait: Respondeo ego, in collatiuncula vespertina de qualitate cibi non esse altercandum, sed de quantitate dumtaxat. Neque aliter Holzmann (part. 3. n. 23.): In regionibus frigidioribus, praesertim nostrae Germaniae, hodierna consuetudo obtinet, ut non attendatur ad qualitatem ciborum esurialium, sed solum ad quantitatem, ita ut quoslibet*

cibos in collatione vespertina licite sumamus, quos licite sumimus in coena meridiana, modo servetur debita quantitatis discretio. Unde licite apponuntur et comeduntur iuscula cocta ex vino, vel cerevisia, pane, herbis, fructibus etc. oleo, vel butyro condita: item pisces, legumina, ova, placentae etc., sive frigida sint, sive calida.

Et huc quidem spectat, quod Sporer (l. c.) amice conqueritur de Laymann eo quod a regula Germanis consueta discesserit. *Ego* (inquit) *miror, P. Paulum Laymann, alias tam bonum Germanum, in hac sola materia patriotis suis fuisse tam austerum.*

(10) Vix reipsa apparet, cur de hisce ambigendum sit: et cum olei modicissima pars adiungatur, Vivae animadversio, aliaeque id genus, leviores videntur quam ut vel theologus iis serio immoretur, vel Confessarius scrupulose inquirat, eo vel magis, quod minutae eiusmodi disquisitionis iudaicum potius quam Ecclesiae spiritum redoleant.

QUAER. 7^o *An liceat sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem iurulentum (gallice: potage)?*

Resp. Affirm., ex hodierna consuetudine, quam sequuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores theologi. — Attamen, iuxta S. Lig. n. 1209, non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac praecisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut ex iis quid unum fiat, et evadat una substantia maior.

Concedi autem potest, ait S. Ligorius, ut inter ipsam refectionem quis panem aqua aut vino intingat, et sic etiam octo uncias panis vino madafacti sumat; quippe nulla hic intervenit fermentatio; et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.

501. QAER. 8^o *Quaenam huiusmodi panis decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?*

Resp. Dissentiunt theologi; alii enim, *severius*, negant licitum esse octo uncias excedere. *Severius*, inquam; etenim si una uncia panis in decem aquae unciis decocti cum altera uncia olei liceret, quid scrupuli esset duodecim has uncias permittere? Alii vero laxiores concedunt octo uncias decocti panis, aqua praecisa. Atqui ob huiusmodi decoctionem atque fermentationem habes quid unum cibi, quod magis, quam solus panis certe nutrit; ergo ab aqua saltem omnino praescindi non potest. Mediam nos sententiam eligimus, permitti scilicet posse quinque vel saltem quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. — *Ita probabiliter.* — Salmant. c. 2. n. 77. Dicit autem S. Lig. n. 1029., se hanc sententiam non improbare. Idem pariter dicendum erit de aliis decoctionibus, quae itidem in coenula apponi solent, v. gr. ex farre, oryza, etc.

ARTICULUS II. — DE ABSTINENTIA CARNIS IN IEIUNIO

502. **Principia.** — I. Omnibus fidelibus ratione utentibus, praecepto Ecclesiae interdicitur esus carnis singulis ieiunii diebus. Hinc duplex lege ieiunii imponitur praeceptum, ut etiam definit Bened. XIV, nempe abstinendi a pluribus refectionibus, et abstinendi a carnibus; contra igitur ac plures antiquiores habent, dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo ab altero excusandus est. — S. Lig. n. 1005.

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut admittunt communiter theologi ex regula a S. Thoma tradita; non igitur prohibentur pisces, ranae, limaces, testudines, etc. — S. Lig. n. 1011.

II. Tempore quadragesimali prohibentur etiam ova et lacticinia, ea scilicet omnia, quae originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Eccle-

siae, ex eius dispensationibus et ex propositione 32^a ab Alexand. VII damnata, quae sic sonat: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lactinia in Quadragesima obliget.* Nunc tamen plerisque in locis conceditur fidelibus generalis dispensatio ab illa lege, si pauci dies excipiantur. Imo in multis dioecibus Episcopi, ex delegata a Romano Pontifice facultate, quoad esum quoque carnis pro praecipua parte Quadragesimae dispensationem concedunt.

Caeterum quamvis esus ovorum et lactiniorum a peccato gravi, *per se*, excusari non possit iuxta communem sententiam, facilius tamen materiae parvitas in his, quam in esu carnis admittenda videtur.

503. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An abstinentia a lactiniis servari debeat etiam in ieiunio extra tempus quadragesimale?*

Resp. Neg. Quia huiusmodi obligatio nulla generali lege imponitur. Est sententia communis, ait S. Lig. n. 1009. Alicubi tamen, v. gr. Romae, invaluit consuetudo, habens vim legis, ut etiam quibusdam aliis diebus, v. gr. quatuor Temporibus, eiusmodi abstinentia servetur.

QUAER. 2^o *An abstinentia a lactiniis servari debeat in Dominicis Quadragesimae?*

Resp. Affirm., quia diem Dominicam neque lex neque consuetudo excipit. — S. Lig. n. 1007., et alii communiter contra nonnullos, quorum sententia non est probabilis iuxta S. Lig. ibid.

504. — **QUAER.** 3^o *An tempore Quadragesimae liceat in refectioe comedere panes ovis confectos?*

Resp. Neg., nisi ova fuerint permessa; ratio est, quia eorum substantia non deperditur ex eo quod farinae misceatur. — S. Lig. n. 1009., etc.

QUAER. 4^o *An dispensati ad lactinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis?*

Resp. Affirm., quia haec ex consuetudine aequiparantur, nisi distinctio clare in dispensatione exprimitur.

QUAER. 5^o *An dispensati ad carnes diebus ieiunii possint comedere etiam pisces?*

Resp. Neg. Si agatur de comedendis piscibus in eadem refectioe Constat ex Constit. Bened. XIV: *Non ambigimus.*

ARTICULUS III. — DE HORA REFECTIONIS

Nostris his temporibus, ex *universali consuetudine*, licite refectio fere sub meridie sumitur. — S. Lig. n. 1016. — *Hom. apost. n. 9.*

505. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An hora refectioe pertineat ad essentiam ieiunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Affirmat S. Lig. *Hom. apost. n. 21.*, et alii multi. Negant vero Laymann, Elbel, alique

non pauci. Praxis primae sententiae consona videtur praeferenda, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat (11).

QUAER. 2^o *An frangatur ieiunium, si coenula meridie, refectio autem vespere sumatur?*

Resp. Non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedat peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest coenula hora decima matutina, et refectio vespere.

QUAER. 3^o *Quamdiu prandium protrahi possit?*

Resp. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas (12). — S. Lig. n. 1020., *Hom. apost. n. 10.* — Lacroix, Billuart, etc.

506. — **QUAER.** 4^o *An frangat ieiunium, qui refectioem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

Resp. 1^o Si interruptio sit levis, v. gr. unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. — S. Lig. ibid.

2^o Si interruptio sit unius fere horae sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

3^o Si interruptio sit valde notabilis, v. gr. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi iusta causa excuset.

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando praesens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectioe transigendam. — S. Lig. n. 1020.

QUAER. 5^o *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensae accumbere?*

Resp. Affirm., probabiliter, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. — S. Lig. n. 1020.

QUAER. 6^o *Si quis mane, itineris causa, ientaculum sumpserit, an teneatur ieiunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia cum essentia ieiunii non sit adhuc

(11) Habes in hisce verbis opinionem Auctoris; quae tamen probabilitati secundae sententiae etiam quoad praxim nihil detrahit.

(12) Addit S. Alphonsus (lib. 3. n. 1020. q. V.): *Imo Elbel cum Gobat concedit usque ad tres vel quatuor horas, sal-*

tem pro Germania iuxta eorum morem; sed Croix merito dubitat, an haec consuetudo sit approbata, nisi (ut ait) post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores...; hocque ego nec approbo, nec reprobo.

destructa, pergat urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die ieiunare. — S. Lig. *ibid.* — Vide *Casus, de ieiunio et abstinentia*, a n. 458. ad n. 467.

CAPUT II.

DE CAUSIS A IEIUNIO EXCUSANTIBUS

Causae excusantes a ieiunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet 1^o ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2^o ad pietatem vel charitatem; 3^o ad dispensationem, sicut de aliis praeeptis dictum est.

507. **Resolves.** — 1^o Excusantur a ieiunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam refectionem comparent. Ad hanc vero non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno vel altero die (1). — S. Lig. n. 1033.; *Hom. apost.* n. 23.

2^o Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. gr. qui febris tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui nisi his reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur. — S. Lig. n. 1033.-1034.

3^o Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia huiusmodi. — S. Lig. n. 1041.

4^o Excusantur famuli et famulae aut alii eiusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut ieiunium cum his coniungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. — S. Lig. *ibid.*

5^o Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli, pedisequi, typographi qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt, caeterisque similibus operam dantes. S. Lig. n. 1041. — Reuter, etc.

508. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An iuvenes viribus validiores ieiunare teneantur ante 21^{um} aetatis annum expletum?*

Resp. Neg., quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos, qui annum 21^{um} expleverunt: in hoc enim attenditur ad id tantum, quod communiter accidit. Suadendum tamen

(1) Ista limitatio, unius forte vel alterius diei, non est S. Alphonsi, qui imo rationem hanc reddit, cur eiusmodi pauperes deobligentur (lib. 3. n. 1033.): *Licet enim* (inquit) *is esset ad huiusmodi obsonia assuetus, tamen ideo se sufficienter*

sustentat, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solet us cibis, qui modicae sunt sustentationis. Quae quidem S. Alphonsus affirmat cum communi DD. sententia.

est iuvenibus, ut pro modo suae aetatis interdum ieiunent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, ieiunii legem servare queant. — S. Lig. n. 1035., etc.

509. — **QUAER.** 2^o *An excusentur a ieiunio senes sexagenarii* (2).

Resp. 1^o Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excusantur etiam iuxta communem sententiam in dubio de validitate virium; quia tunc praesumptio stat pro earum imbecillitate. — S. Lig. n. 1036.

Resp. 2^o Si viribus polleant, *controvertitur*. Prima sententia negat, eos ieiunii lege eximi, quia illi, qui in ea aetate vires validas habent, ut senes non reputantur. — Laymann, Antoine, Collet, etc. *Haec quidem sententia est probabilis* (ait *ibid.* S. Alphonsus), *sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent Sanchez, Roncaglia, Salmant...* Ratio est, tum quia sic fert universalis consuetudo, ut communius testantur Doctores; tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit, necne sufficienter robustus ad ieiunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia huiusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in huiusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum. Hinc commune adagium: Senectus ipsa est morbus (3).

(2) Sexagenarios hic intelligi posse, qui annum sexagesimum dumtaxat inchoaverint, tradit post alios Diana tom. IV. Tr. 6. res. 5. n. 1-2. et res. 8. n. 3.

(3) Quod de ieiuniis ecclesiasticis dicitur, id ipsum statui potest de ieiuniis, quae ex Regula servant Religiosi: nam et ab his sexagenarii excusari poterunt, nisi forte (ut notat S. Alph. lib. 2. n. 139.) observantiam ieiunii expresse usque ad mortem promiserint.

Extendi haec norma potest ad eos quoque, qui aliqua hebdomadaria aut menstrua ieiunia in totam vitam voverint. Sed itidem excipe, si quis cogitans de senili aetate expresse obstringere sese usque ad extremum vitae voluerit.

Quaestionem subnectunt hic DD. (Vid. S. Alph. lib. 3. n. 1037.), an sexus debiliior, utpote qui citius senescit, a ieiunio quoque citius excusetur, et fere contro-

versiam de anno quinquagenario movent. Qui negant excusari, moventur, quod licet citius senescat mulier, tamen minus ieiunio maceratur, et minori indiget alimento. Alii vero affirmant, et illud urgent, quod nemo negat, scilicet valere aequae pro viris ac pro mulieribus, quod *senectus est morbus*. Nec sane satis apparet, cur ea, quae de senili aetate animadvertit S. Alphonsus pro viris, pro mulieribus aequae non valeant. Quod si minori mulieres indigent alimento, seu potius si abundantiori alimento ferendo prae debilitate sunt impares, hoc potius evincet, eas a lege, quae unicam comestionem concedit, excusare, cum unica exigua comestio sustentandis viribus par esse nequeat.

Caeterum sapienter de hac re concludit Sanchez (*Cons.* lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 3-4.): *Qui ante sexagesimum annum sunt iam senes et debiles, excusantur.*